DOCTOR ATIENZA Licenciato Didaco Lopez de Vnçueta. S. P. D.

IN SINGVLIS Artibus satis est experientia confirmatum, artem naturam perficere, acutissime licenciate, sed te adeo ingenio pollere video, vt velis non tesolum perfici ab arte, sed noua, & inaudita quadam opinione, acuta sanè, te velle artem ipsam perficere veterumque, atque Neothericorũ sapientum Medicorum sententiam labefactare, laudo quidem ingenij tui acumen, quod tã graue onus susceperit, non vulgi deceptione, non populari, & inani ostentatione, com-notum, sed magnifica, & gloriosa, qua tuam causam mirificè, atque accerrimè defendis, à contrariorumque etiam peritorum argumentis acutè, & subtiliter liberari contendis. Nam vt inquit Cicero, omnes trahimur, ad cognitionis, & scientiæ cupiditatẽ, in qua excellere pulchrum putamus. Alexander Aphrodiscus primo thopicorũ scribit, fuisse consuetudinem veterum, vt in vtramque partem disputarent conueniebantque in aliquo loco, atq; ibi posita quæstione, quid ex vtraque parte dici posset, acuratê querebant, atque ingenium exercebant, vt postea cum opus esset prompto animo disputarent, eosdem cẽseo te imitari velle, cum nouam hanc de sudoris causis opinionem, cõsulto (vt arbitror) in mediũ adduxeris, ac publice defenderis, acutissimi tui ingenij ostẽtationis gratia. Sed quoniã circa ipsam non satis te conuictum video in eam aliqua non inualida proferam argumenta nullo quidem odio, nullo contradicendi studio, nulla auaritia, nec ambitione commotus: & nè frustra inutilibus quæstionibus totum tempus conteratur, obiter aliqua etiam addam, non mediocrem tibi vtilitatem, & multis alijs Medicis allatura, deinde pergam explicare, ac dilucidê exponere sententiam illam Auicenæ à te, & alijs satis controuersam. Somnum omnes euacuationes fortiter retinere præter sudorem. Nec non, quare plus sudemus in sommo quam in vigilia, quibus peractis, si non satis re in meam sententiam pertraxerim, non parum me fecisse arbitrabor, si saltim doctissimis viris placuisse videar. Vehementer igitur in tuis scriptis affirmas, causam efficientem per se, & potissimam sudoris esse vaporis leuitatem, medio impulsu facto, immediatè â compressione arteriæ, atque aeri, fulliginibus, & consequentur vapori communicato, vt pateat locus aeri frigidiori ingressuro ad refrigerium cordis, & ne detur corporum penetratio, trahens originem á facultate motiua arteriæ, minimè autem à vitali, sed quoniam rectum, vt dicitur, iudex est sui obliqui, & veritatis cognitio est argumentorũ solutio, vt inquit Arist. in thopicis, prius oportet prę cognoscere, quid somnus sit per suas causas, & quę sunt causę veri sudoris, tan secũdũ veri rationem, quam doctissimorum virorum sententiam, vt ex hac veritate cognita, & satis perspecta possimus deducere, veluti ex proprijs causis, id quod desideramus: & vt ad rem igitur accedamus dicimus. Somnum secũdum naturam esse ligamentũ sensuum factũ â contractione caloris moderati, nequeuntis sensorijs inseruire, media volũtate imperante, & facultatibus internis, attrahentibus, ne torpescat naturæ instrumẽtũ, quod ad ascensum est reddi

Fen. 2. pri. 1 doctri. 2. c. 13 de somno, & vigilia.

 tum

tum ineptum, concurrentibus etiam suaui euaporatione alimenti optimè cōfecti, cerebrique frigiditate, vt media concoctione interna corroboretur natura, & fiat spirituum animalium, & vitalium restauratio. Quę diffinitio, vt intelligatur, explicandæ sunt omnes ipsius causæ cum ex Aristot. 2. posteriorum deffinitio a demonstratione non differat, nisi solo situ. Nam vt demonstratio per omnes causas pro... it, sic & deffinitio, sedes ergo somni sensus cōmunis est, cum somnus, & vigilia sint priuatiuè opposita, & sic circa idem subiectum debent versari, nā licet externi etiā sensus in somno sint consopiti, hoc accidit ratione sensus communis, à quo illi dependent ad suas actiones exercendas: ideo somnus per prius debet collocari in sensu communi, quia externi sensus non iudicant, sed solum sunt specierum delatores ad sensum communem, vbi fit iuditium circa singularia, ideo cum sensus communis profundis cogitationibus fuerit distractus, nec percipiet ea, quę audiuerit, nec ea, quæ se obtulerint oculis: sed est animaduertendum, sensum communem in somno minimè sentire posse, cum sensatio fiat cum appræhensione sensibilium per sensus exteriores posse tantum phantasiari, cum phantasiatio solum fiat cum appræhensione sensibilium per species reseruatas in phantasia, & nō de nouo acquisitas. Explicata iā somni sede, sequitur, vt de forma somni pauca dicamus. Pro quo est diligenter considerandum, quod cum anima incorruptibilis sit, nec ipsam, nec ipsius facultates defatigari posse, modo habeant instrumenta apta ad suas operationes obeundas. Nam senex quidem videret, vt iuuenis, si oculum iuuenis haberet, tanquā eadē sit, & tam valida in vtroq; facultas, quæ idē nequit facere ob instrumentorum solum differentiam. Sequitur ergo facultates, vt rectè operentur apta organa, atque instrumenta, & optimam temperiem requirere, quæ solet deficere propter diminutionem spirituum vitaliū, qui vnius cuiusque partis temperamentum complent: cum ergo tales spiritus in organis exterioribus existētes, suisque facultatibus inseruientes ratione subtilitatis eorum facilimè exoluantur, nam si sensatio exterior nimis permaneret, ita diminuerentur spiritus, & langueret animal, vt breui temporis spatio esset interiturum: ob id sagax natura ad salutē animantium requiem instituit, ergo omni animali debuit conuenire requies, quod enim alterna caret requie durabile non est, quæ requies naturalis actionum ipsorum sensuum cessatio est, quæ somnus nuncupatur, nō ratione ętatis, nec morbi natura contingens. Vt igitur iam ad somni causam efficientem accedamus, dicimus esse voluntatem, & rationem, quæ somnum aliquando imperare videntur, cum animus varijs defatigatus est cogitationibus, quæ vigiliæ sunt causæ, ob id conantur remouere obiecta, cogitationē, & sensum, quæ omnia solent prohibere somnum, caloremque influentem deorsum impellere, descendereque cogunt, tanquam mobilem substantiam, quæ omnibus facultatibus parere est apta, & nata, vt enim ratio, & cogitatio calorem influentem ad se aduocant, & vt ita dicam, imperant, vt adsit sensorijs vbi vigilandum est, ita vbi illa somnū necessarium iudicat, cogit calidum recedere à sensibus, & ad partes internas se conuertere, vt somnus fiat, nam cum intro reuocatur calor ob actiones internarum partium, concoctionemque ventriculi somnus fit, concurrentibus etiam facultatibus attrahentibus ipsarum partium internarum (cum fortificatio vnius virtutis soleat esse diminutio in altera) quæ naturæ instrumentū, sine quo agere nequeunt, ad ascensum fit redditū ineptum, ne torpescat, ad se aduocant, atque ingesto iam cibo, & potu, caloreque intus corroborato, coquitur cibus ex cuius coctione vapores exalantur ad caput, frigiditateque cerebri adiuncta crassescunt, spiritusque, atque motus cohibentur neruis, per

quos

quos spiritus commeant obstructis Nam spiritus ipsi, quasi per antiparistasim ad internas partes reuersi alimenti concoctionem complent, debemus etiam expendere,& diligenter considerare ętatem,atque temperamentum. Nam in melancholicis,& senibus cum ratione frigiditatis, & siccitatis, non sit tanta è ventriculo vaporum exalatio,facilior fit experge factio,eadem fere videtur esse ratio,quare in principio somni, & fine facilius excitemur á somno, quam in medio,quia cum in principio sit aliquantulum ab alimenti copia oppressa natura,& calore,magis quam in medio,minor fit vaporũ eleuatio,in fine autem cum sint pauci,& exigui vapores denuo exalati,& præexistentes fere sint cõsumpti,cũ nõ sit adeo potẽs obstructio in vijs sensuũ,facilimũ erit tales è somno excitari: peracta porrò internarũ partium cõcoctione superuacaneisque crassis excrementis seiunctis, in proprijsque locis positis, atque sanguine optimè confecto,& nutritioni corporis idoneo reddito , nec non multis subtilibus spiritibus regeneratis,transfert natura sanguinem,& spiritus ad partes externas,& cũ spiritus ipsi iã sufficientes sint pro actionibus animalibus efficiẽdis,sagax natura transmittit eos ad organa sensus,vt perfectiores deinde actiones omnes animales reddantur,quod excitationem á somno iure appellamus,licet fieri possit,vt ante hanc naturæ actionẽ perfectã aliqui expergefiant. Nam multos quidem cognouimus profundè dormientes, cum magnum aliquod desideratum se facturos præcognouerint,cito expergefieri nec dormire posse,cuius causam in forte præcogitationẽ,& decretũ reffe-rendam duco,atque in fortissimam etiã impręssionem speciei in phãtasia de relictam,quæ deinde possit citissimè sensum communem mouere, quo motus appetitus sub ratione boni vehementer,& priuatim ad illud opus desideratum excitatur. Quam ob rẽ natura prouida in principio,& fine somni, transmittit spiritus ad membra exteriora prosequtiua illius operis, & sit experge factio: expergefieri etiam solemus ab exteriori, vt cum valde est excedens sensibile,vt somnus,calor,frigus,quia tunc propter vehementiam sensibilis mittitur species ad sensum communem, & natura ad confortandum organa passa mittit spiritus ad illa,& sic sæpe numero expergefactiones quoque accidunt. His præcognitis tempus iam est,vt ad sententiæ Auicenę explicationem accedamus, inquit ergo in loco allegato, somnum cohibere fortes omnes euacuationes præter sudorem:pro cuius explicatione animaduertendum duxi,Auicenam fuisse locutum de somno naturali refficiente vires quieto,non vehemẽter perturbato ab aliqua causa morbifica,vt accidit in perturbatione alicuius futuræ crisis,vel synthomaticæ euacuationis,nec ab aliqua vehemẽti cogitatione alicuius rei fiendæ,nam proximè hanc propositionem antecedit hæc alia,somnum latitudines omnes tollere, sed intelligere somnum naturalem contingentem in corpore neutram quãdam naturam habentem inter morbosam,& omnino sanam,nam si corpus fruatur optima valetudine intra proprios limites sui tẽperamenti,nullus sequetur sudor,vt infra probabo , cũ agam de sudoris causis,quia scilicet materia sudoris carebit.

Si morbosum existat corpus euacuationem aliquam,vel sudorẽ synthomaticum,vel criticum esse expectãdũ,vel aliquam aliam huiusmodi euacuationẽ vel forte nullã,natura à morbo oppressa, cuius impetũ compescere neutiquã poterit somnus, præsertim in principio cum in huiusmodi euacuationibus maximus sit certamen inter morbum,& naturam,ratione cuius maxima vis naturæ infertur,cum maximo sensus irritamento,quod non potest contingere, nisi in vigilia. Nam sicut ab exteriori sensibili vehementi excitamur à somno,vt iam dixi, videlicet à vehementi somno, calore,& frigore, eadẽ etiã ratione

ratione ab aliqua magna interna putredine poterit excitari sensus, & tolli
somnus, non ergo in his corporibus poterit talis somnus reperiri, qui possit
sinthomaticas, vel criticas euacuationes cohibere, quas fortes appellam⁹, quas
tu sine limitatione affirmas posse, præsertim cum in corpore tali affectione
laborante sit maxima humoris putrefactio, á qua putrefactione spirant humo-
res accres, & mordaces vigiliam excitantes, vel saltim præter naturalem som-
num efficientes, cum pituitam crassam habuerint admixtam, non ergo is som-
nus erit qui lassitudines omnes tollat, vt inquit Auicena in eodẽ loco, sed na-
turalis placidus, & suauis. Relinquitur ergo solum intelligere, corpus neutrũ
mediam quandam dispositionem habens, inter omnino naturale, & omnino
præter naturam, cui similes conueniant effectus, vt apparet in corpore labo-
rante aliqua cibi repletione, quæ parata est morbum inducere, quam cum na-
tura præ caloris imbecillitate vincere nequeat, excitatur ad expulsionem, &
aliquando expellit per vomitum, aliquando per alui deiectionem, & aliquan-
do per vtrumque: cum ergo tunc somnus superuenit reliquias portionis re-
dundantis humoris in ventriculo derelictas, vel in tunicis ipsius imbibitas cō-
coquens, vltraque progredi in corruptione non permittens, talis somnus fa-
cile tales euacuationes retinebit, & sic retinebit fortes, quia cũ maximo natu-
ræ conatu, & impetu fiunt, non quidẽ in principio, sed cum ad medium, vel
propè finem progressa est euacuatio. Sed si morbi causa fuerit diuturna, &
inueterata, alia ratio est, nam hanc somnus naturalis cohibere minimè pote-
rit, cum maximè sensum stimulet, nisi maxima iam ipsius portione euacuata, &
fere reducto corpore ad statum naturalem, quod neutrum potius, quam mor-
bosum dici poterit. Præterea obijciet aliquis, pueri se mingunt in somno, er-
go somnus non retinet fortes omnes euacuationes. Respondeo, id esse per ac-
cidens, & propter debilitatem retentiuæ, & relaxationem musculi vesicæ, de
qua non intelligitur propositio Auicenæ, quia cùm pueri constent calido, &
humidò temperamẽto, proindeque somnũ habeãt profundum, cuius ratione
cum sit valida concoctio, & consequenter magna vrinæ separatio, & ad vesi-
cam delata retentrice facultate debilitata, & musculo colli vesicæ relaxato
citra irritamentum exit vrina, quod viris perfectis est denegatum, quorũ non
est ita profundus somnus, nec illum musculum vesicæ ita imbecillem habent.
Rursus posset etiam aliquis dubitare cũ in somno sit priuatio sensus, & motus
(excepta respiratione) & in somno sit contractio caloris ad interiora, in motu
autẽ ad exteriora quomodo in somno in rebus venereis reuocatur calor ad ex-
tra, & fit seminis emissio dicimus, id fieri per accidẽs per forté imaginationẽ
lasciuarũ rerũ, per species reseruatas in phãtasia, accedẽte corporis tẽperamẽ-
to ad libidinẽ maximè procliui, & ad tales cogitationes excitante, nec non cũ
optatis mulieribus diurna collocutione præcedente, nihil mirum si influente
spiritu animali, & mobili substãtia, quæ omnibus facultatibus parere est apta, &
(vehementi imaginatione) ad partes generationi dicatas concurrente, vehe-
mentique appetitui obtemperante, emissionis seminis sit in causa, citra vllũ
sane partis setictis irritamẽtũ, sed tãtũ virtute expulsiua naturali appetitui etiã
veluti superiori petentiæ obtemperante. Ad hoc etiã accedit alia difficultas,
quam tu optima ratione excitas in tuis scriptis, quomodo in somno fiat san-
guinis fluxus, vt experientia constat, cum propositioni Auicenæ contrarie-
tur, quę omnes euacuationes retinere affirmat, præter sudorem, pro cuius ex-
positione dicendum, plures esse causas à quibus sanguinis emissiones proue-
niant, primò, propter vehementem imaginationem iniuriæ illatę per species
reseruatas in phãtasia, concitata quidem ira, atque appetitu vindictæ in totoq;
corpore

corpore ſanguinis redundantiá præcedente, quorum ratione cum ſanguis,& ſpiritus prius in corde corroborati confluant ad caput acrimoniam contra- hant,expulſiua quipe facultate irritata,hæmorragiam concitare videntur. Ex- terni enim ſenſus licet ſint conſopiti,cómunis tandem vigilat,vt apparet in his qui oculis clauſis ſurgunt ex lecto,& per domũ ambulant. Cũ hi medio quodã modo ſe habeant,nec omnino dormientes , nec omnino vigilantes , quamuis reiectatio ſanguinis ex capite,faucibus,pectore,& pulmone nequeat eſſe ſine ſenſu manifeſto,& conſequenter in vigilia. Eruptionem tamen ſanguinis per Menſtruum,& Hæmorroydes poſſe citra ſenſum accidere , ob retentiuæ fa- cultatis imbecillitatem, non inficior. Poſquã iam de expoſitione ſententiæ Auicenæ in qua dicitur: Somnũ fortes omnes euacuationes retinere,ſatis di- ctum eſt,ratio explicandi poſtulat,vt accedam ad explicationem alterius pro- poſitionis paulo inferius in eodem capite adductæ , in qua affirmat,ſudorem copioſiorem eſſe in ſomno,quam in vigilia. Pro cuius explicatione diligẽter erit aduertendum in vigilia fieri maiorem ſpirituum exolutionem,cum exte- riores partes calidiores,&meatus cutis apertiores exiſtant,natura enĩ duce,ꝙ tenue,& leue eſt ſuám appetens perfectionem,ſurſum petit, non à leuitate (vt tu affirmas)ſed á propria natura,& forma,vt ſuo ſimili vniatur, & perficiatur: aer etiam externus attrahit internum ob eandem rationem,omnia enim natu- ra conſtantiã ſuã appetunt perfectionem. Vigilantes liberũ etiã habẽt exitum, vaporibus in ſomno claudũtur pori externi caloris natiui contractione, & ex- terna frigiditate,tunc retentus calor innatus,atque validus in concoctione in- terna diſoluit materiam præter naturam,ex qua fit maior vaporum exalatio, qui cum non exoluãtur,vt in vigilia(propter cauſas dictas)eos ſolet roborata natura,atque prouida ſucesſiua impulſione verſus cutem expellere,& ſudorẽ excitare , & hæ ſunt veræ cauſæ,meo ſaltim iuditio, quare ſudemus magis in ſomno,quam in vigilia,quapropter acutè ſentit doctiſsimus Auicena, cum inquit ſomnus plus efficit ſudorem,quam vigilia,ſecundum modum ſuperan- di materiã,id eſt dominij ſuper materiam , & non ſecundum modum reſolu- tionis ſubtilis,ſicut in vigilia propter ſpirituum vitalium exolutionem. Id etiã confirmar Hy.4.apho.41.ſudor multus per ſomnum ſine cauſa manifeſta fa- ctus,corpus copioſiori vti cibo ſignificat, quia propter repletionẽ cibi,cõco- ctricis facultatis langor,& deffectus cum expellentis facultatis robore.& po- rorũ apertione coniunctus eſt.Etenim cum à copia cibi,& potus multi humi- di vapores aſſurgant à moderato calore,nam animis lãguido nulli , a forti per inſenſi'em halitum habeant,qui cum per ſomnum cum reliquorũ excremen- torũ retẽtione augeantur,à natura impulſi ad cutẽ,ipſiuſq; cutis dẽſitate frigi- ditateq, ante condenſati,per ſudorem elliciuntur.Nam vt ſenſit Diocles quẽ (vt arbitror)iniuſte repræhendit Galenus libro de ſynthomatum differentijs, ſudorem excretionem eſſe præter naturam,quod ſcilicet rectè valente cor- pore,& natiuo calore exiſtente valido,omnibus que his , quæ ad corpus per- tinent probè adminiſtratis,& alimento à natura ſuperato, nunquam ſenſibilis humor qualis ſudor eſt excernitur,ſed inſenſibiliter exſoluitur. Pergit hic di- cens,ſi vero partius epulanti id acciderit,corpus euacuatione indigere ſigni- ficat in hac parte oſtendit hic ; quod cum corpus plurima redundet hu- miditate ſuperflua,& putrefacta,quæ non ſit producta à multitudine materię, de nouo genita,ſequitur prouenisſe iam à materia,quæ fuit prius producta , & in partibus retenta,maximè que putrefacta,ac proinde euacuatione indigere, licet enim natura in ſudore prouida pro viribus conetur humorem totũ cor- ruptum,tanquam inimicum ex partibus ellicere,atque exhaurire præ humo-

ris tantum crassitie,& contumatia,nec non pororum angustia, aliquando ac-
cidit,vt proposito fine frustretur,& solum quod tenue est excernatur, quam
ob causam inquit Hy.lib.de Morbis,quicunq;morbi in iudicatorijs diebus iu-
dicantur,& febrilis ignis dimittit in his de pituita,& vile, quod tenuissimum
est,elliquatur,& secernitur,& seccedit,partim extra corpus, partim intus, &
isthic in corpore relinquitur,& partim præ caliditate attenuatur,& vapor fit,
& cum spiritu permixto foras procedit,atque hæc quidem huiusmodi sunt,&
ab his sudor generatur. Aliam etiam causam assignat Auicena copiosioris su-
doris in somno,quam in vigilia,in eodem capite, videlicet anhelitus spirandi
maiorem difficultatem,tum propter reuocationem caloris ad intra,tum etiã
propter impedimentum motiuæ facultatis, ratione obstructionis neruorum
defferentium ipsam ad thoracem. Nam cum spiritus motiui non confluant ea
quantitate,quam exigit thorax ad expirationem,& inspirationem præstandã,
fit,vt multæ superfluitates fumosæ,quæ deberent perfectè per expirationem
ipsam educi malê educantur,& multæ ex his retentæ ad cutem,& in fine som-
ni per sudorem expellantur,compensat enim natura copioso sudore huius, &
aliarum expurgationum inopiam. Præterea cum per somnum natura valeat
plurimum suis facultatibus naturalibus,media concoctione,quæ inutilia sunt
videlicet, excrementa separat ab vtilibus, tum in ventriculi, tum in epatis
concoctione,& quod vtile est, & nutritioni idoneum videlicet, sanguinem
distribuit iecur in vniuersum corpus cum portione quadam serosæ humidita-
tis,quæ ratione sui fluxibilitatis sit veluti sanguinis vehiculum. Reliquam au-
tem partem portionis serosæ transfert in renes,& vesicam,concurrente tamẽ
ipsorum attractione:cum autem iam sanguine partibus apposito,& in corpo-
ris substantiam transmutato, redundet serosa illa humiditas, tanquam quid
corpori inutile,quod per insensibilem alitum soleat aliàs natura resoluere,
sed cum plus pituitosi chili perueniat ad iecur, quam possit concoquere eius
imbecillitate,accidit,vt maior quantitas serosi humoris ad renes transmitta-
tur,quam oporteat,& quod transmitti debebat simul cum sanguine,vt reliqua
portio deducatur ad singulas nostras,corporis partes externas,quæ serosa hu-
miditas varias quidem in itinere alterationes perpessa,& in partibus externis
accumulata quantitate,qualitateque inimica naturæ sub finem somni expel-
litur per sudorem,cum calor sanguis,& spiritus peracto iam suo opere inter-
no ad exteriora reuertuntur,alioquin enim morbis grauioribus rudimẽta po-
neret,& hoc modo est intelligendus Galenus.3. Metho.c.3.quem tu citas er-
rore.17. cõtra innominatum medicum hãc insensibilem transpirationem sen-
sibilem fieri,vel debilitate caloris,vel ratione plurimi alimenti,vel inmodici
exercitij,ratione cuius etiam debilitatur calor natiuus propter resolutionem
caloris ionati,& influentis,quã ob causam languet iecoris facultas cõcoctrix,
& consequenter naturalis expultrix,atque augetur serosa illa humiditas ex-
crementia,sudorem excitans. Reliquum nunc est,vt accedam ad discutiendã
diligenterque examinandam nouam illam tuam (vt arbitror) opinionem, in
qua vehementer affirmas,causam efficientem per se, & potissimam sudoris
esse vaporis leuitatem,medio etiam impulso facto immediatè á compressio-
ne arteriæ aeri fulliginibus,& vapori cõmunicato,qui impulsus per te trahit
originem à facultate motiua arteriæ,minimè autem à vitali. Contra illud dici-
tur principium vitale, cuius actio dirigitur ad conferuationem vitæ, sed ex-
pulsio excrementorum est actio directa ad conseruationem vitæ,cum ex ipso
rum retentione grauissimi periculosissimique morbi oriri soleant,vt patet in
retentione fæcum alui, & vrinæ suppressione,sequitur,ergo necessario ex-
cremen-

crementorũ exclusionẽ ortum ducere à principio vitali, nutrire enim viuere est, quia secundum Arist. multis in locis quandiu viuimus tandiu nutrimur: excrementorum autem expulsio omnino est necessaria ad nutritionem præstandam, cum quodlibet alimentum quantumuis optimum, partes habeat dissimiles nutritioni ineptas, sed morborum generationi aptas: tu autem tuam opinionem accerrimè defendens, adducis exemplum ad ipsius confirmationem, quod quemadmodum, si aliquis homo per impulsum alterius extrinseci motoris moueretur, talis motus solum conueniret homini, quatenus corporeus est, corporamque obtineat naturã, idemque prorsus existimandum esse in arteriæ compresione, hominem porrò esse corporeum, arteriam etiam esse corpus graue ratione frigiditatis, & siccitatis elemẽtiq; terrei in ipso prædominantis, ad cuius prædominium sequatur facultas illa motiua arteriæ ad locũ inferiorem, cuius actio arteriæ, compresio dicitur, hoc totum ingenuè fateor, sed ad hanc compresionẽ minime directam á superiori causa, videlicet à natura sua facultate expulsiua adiuta, sequi immediate vaporũ, & fulliginum expulsionem, simul concurrente ipsorum etiam impulsu propter aerem frigidiorem ingressurum, ne detur corporum penetratio, hoc sanè mihi persuadere minimè potui, tanquam rationi maximè dissentaneum: propterea quia exemplum â te adductum de extrinseco motore, & violento motu non concludit, nam hic solum agitur de motibus naturalibus, & intrinsecis motoribus, minimè autem violentis: pro cuius expositione aduerto, omne corpus naturale, quatenus solum corpus est, moueri secundum temperamentum, & prędominium elemẽti, in ipso, videlicet, si leue est sursum, si graue deorsum: in viuẽtibus autem, hoc etiam contingere nego, in actionibus præsertim internis, & necessarijs, quæ diriguntur ad vitæ conseruationem, licet in fortuitis externis, atque violentis posit accidere. Sed supra temperamentum præstantiorem causam esse asignandam, in quam iure optimo omnes nostri corporis actiones primo debeant refferri, temperamẽto autem solum vti veluti instrumento accomodato ad proprias operationes obeundas, quod discurrens per omnes nostri corporis actiones apertisimè explanabo, & vt ab ea operatione incipiam, quæ est propter speciem, quę gignitiua appellatur ex Arist. 4. Methecrorum, clarè illud ellicitur, vbi similaria inquit, alia ratione, & via, quam quæ disimilium sunt partium cõstitui solent. Nam ex elementis, inquit, similaria constant, ex similaribus autem tanquam ex materia integra naturę opera cõfici solent, & addit partes similares calore, & frigore, & mixtis motibus fiunt: at disimilares quale est caput, aut manus, aut pes, ex illis constitutæ, minimè videbuntur, sed in causa esse putabitur natura, imo quod magis est, nec similarium partium, propriam essentiam, atque formam ab elementorum temperamento ducendam putauit. 2. de generatione animalium, cap. 1. ad finem, Dura, inquit, molia, viscosa, tenera, & quicumque alij affectus partibus insunt animatis à calore, frigore vè effici posũt: at ratio, qua iam hoc caro, illud est, os non potest, sed á motu efficitur proficiscente ab eo, quod genuit, quodque actu, & re ipsa, id iam est, quod esse potest, id ex quo res gignitur: quinimò ipse æet Galenus. 2. de temperamentis inquit, quò mihi minus rectè facere videntur, qui tam temerè de rebus maximis pronuntiant, vt solis qualitatibus formandarum partium causam asignent, consentaneũ enim est, has qualitates organa esse, formatorem vero alium.

Nec operationes naturales, quæ sunt propter indiuiduum quales sunt nutritio, augmentatio â complexione, tãquam à primaria causa prodire possunt, quod quidem clarum fiet, si probauerimus earũ ministras â tẽperamẽto prodire,

dire, non posse, quales sunt attractio, retentio, concoctio, & expulsio, etenim, & si calidi sit, quodcunque ad se allicere, atrahere, & ad se quasi rapere, cum tantum id quod attrahit promiscuè, & citra delectum attrahat: attractio autē siue de ea intelligas, quæ in ventriculo, siue de ea, quæ aliarum partium est, non quodcunque, sed quod sibi est familiare, vt ex confusa sanguinis masa, os crassiorem substantiam, caro tenuiorem, & cætera quæque pro suo naturæ modo, sequitur attractionem non à solo calore complexionali fieri posse, sed ab alia, ac diuersa à complexione causa, itidem, & retentio, nam, & si siccitas retentionem adiuuet, si tantum tali modo fiat retentio, vt statuto tempore retineat ventriculus, quoad cibus planè sit concoctus, moxque illum depellat post concoctionē, atque ex vtero prius elabi fętum molle, quam ad absolutionem peruenerit, proculdubio retentionem, non amplius siccitas, quæ in complexione elementalium qualitatum reperitur, sed vis quædam præstantior causabitur, quæ singulis partibus à prima origine est insita, item & concoctio, nam cum videamus aliquorū animalium calorem. Quæ duriora sunt, vt strutionis calorem ferrum atterere, cum tantum leonis calor, qui vehementior, atq; accrior hoc efficere non possit, sequitur concoctionem, etiam â vi elementalium qualitatum prodire non posse. Idem confirmant mandragora, & lactuca, simpliciter frigida, nam in eorum temperamento elementa frigida dominantur: & prępollent elementis calidis, & tantum attrahunt alimentum, concoquunt, & nutriuntur, aliam præstantiorem causam ostendentes: licet à temperamento in hac actione iuuetur, cum tali modo temperamentum præparatum sit â natura, vt si illi formæ non substantia temperie, tamen ac præparatione ad illam proximè accedat. Idem profecto de expulsione dicendū. Nam & si frigidi sit expellere, non tantum determinati, atq; noxij fieri posse credibile, quod idem etiam de sudore dicendum, vt de reliquis expulsionibus dicitur, numquam enim natura expellit per se, nisi noxium, licet aliquādo per accidens contrarium accidat, vt in syathomaticis euacuationibus. Item, & vitalis operatio, nam tametsi pulsatio arteriarum, quoties calor excedit, ex refrigerandi necessitate crebrior celeriorque fiat, contra vero tardior, ac rarior, cū frigus dominatur perpetuæ tamē motionis calorē, ac frigorem efficiētē causam ponere falsum esse, ex hac ratione apparebit, nam cū etiam reliquis partibus similiter, atq; arterijs, hæc indita non est pulsatio, cū sint omnes æquè ex calido, frigidoq; tēperatæ, quod si operationes istæ quæ magis infimæ sunt à temperamento, tanquam à primaria causa non prodeunt, quanto minus animales operationes. Item cum operationes animales ab instrumenti ratione figura, ac conformatione prodeant, figura autem, ac conformatio ad elemēta referri non posse, vt probauimus Sequitur etiam animales functiones supra elementa referri debere, non autem ad elementorum temperaturam. Etenim cum videamus figura membri vitiata, aut instrumenti proprietate, etiam si vitiata non sit illius temperatura, instrumenti quoq; animalem functionem lædi. Cum manus vehementer incalescens, vel contabescens, integré moueri, atq; apprehendere videatur, planum facit non elementorum temperiem, sed instrumenti rationem causam esse præcipuam, quod si hæ operationes nō ab elementis, seu à temperamento, ex elementorum mixtione conflato, prodire possunt. Quanto magis credendum est de principibus animæ operationibus, quæ interiores dicuntur. Cum eæ longe cæteras antecellant, & si quis dicat læso cerebro, ac distemperato, omnem enim vim, omnemq; actionem impediri, eo autem benè valente, sanas esse, & constantes animæ vires, ex quo concludi potest operationes à temperamento prodire, respondendum hoc

euenire,

euenire, ꝙ quælibet animę operatio egeat tẽperamento, tanquã auxiliario milite earũ operationum. Quæ à forma cientur, nõ autem quia temperamentum posſit eſſe primaria cauſa harum operationum. Etenim cum formæ ſpecificæ rerum naturalium dent eſſe compoſito, & ſint principia, ac cauſæ quarum cumque operationum, quæ in illis fiunt, cumque habeant vim effectricem ingenitam agendi, & taliter operationes efficiendi, vt tota vis, & facultas operandi, ac motus omnes, & actio primo prodire dicãtur ab ipſis formis, tamquã á primis principijs cũ tantũ ratione, qua ſunt formæ materiales, ac corporeæ operationes ſuas commodè ac integre edere non poſsint, niſi præparato optimè ſubiecto, atque corpore, in quo habẽt operari. Pręparatio autem ſubiecti, ac corporis non fiat citra bonam, atque conuenientem corporis temperiem: ſequitur igitur formas naturales indigere optima complexione, ac temperamento veluti proprio inſtrumento ad propias operationes obeundas, cuius temperamenti cauſas efficientes, eaſdem formas aſsigno, medijs facultatibus ipſis formis ſuperadditis, quorum ratione largiuntur vnicuique rei naturali, ac vnicuique membro, cuiuſquê rei naturalis, talem complexionem ac proportionem, qualem res illæ requirunt. Nam temperamentum earum duntaxat functionum, quæ quodammodo primarum qualitatum naturam conditionemque redolent, poteſt eſſe principium. Etenim cum in permixtione qualitatum elementaliũ, neceſſarium ſit, aut vnam, aut duas qualitates excellere, quæ quoniã predominãtur, omnẽ tẽperamenti efficientiam ſibi vendicant, adeó vt quicquid ab illo temperamento efficitur, id à prædominantibus qualitatibus effectum eſſe dicatur. Quamuis otioſæ non ſint cæterę qualitates, ergo ſi in temperamento neceſſe eſt, vincentis elementi vis maneat, atque dominetur, licet depreſſa, & infirmior, ſequitur ergo, quod cum ſit ſemper naturę priſtinæ memor, quod alterius diuerſique generis nullum poſsit effectum proferre: nam cum ex principum qualitatum temperatione, aut vis, aut qualitas noua emergere non poſsit, quæ diuerſam naturam adepta, illarum qualitatũ nihil redoleat. Sequitur etiam, quod operationes, quę ex principũ qualitatũ, tẽperamento prodibunt ſuperioris, dominantiſq;, qualitatis naturã imitabuntur, ac operationes edere non poſsint, quę ſupra qualitates eſſe cognoſcantur. Cũ ergo arteria per te moueatur ſolũ: quoatenus corporea eſt, corporum dumtaxat motum debet imitari, & cum talis motus neceſſario debeat eſſe ſecundum naturam elementi prædominantis, & hoc in arteria terreum ſit, cum frigida ſit, & ſicca, ſequitur neceſſario deberi mooeri deorſum, & conſequenter compreſsionem efficere, ſed hac compreſsione ſolum excludere quod noxium eſt, & excremẽtitiũ, relicto vtili: hoc ſinè dubio in aliã cauſam referendũ duco, videlicet in facultatẽ vitalẽ ortã à naturali, arteriã ipſam comprimentem, aeremque, & fulligines exprimentem. Sed dices, ſudorẽ precipuê fieri á leuitate, adiuuante autem compreſsione, ad quod reſpõdeo, quod cum vapor à denſidate, & frigiditate partium externarum conuertatur in aquam, priuſquã exeat per ſudorem (quæ aeris, & aquæ tranſmutatio mutua facilis eſt) ſequitur neceſſario prios futurum humorem aqueum, quam ſequatur ſudor. Si ergo ita eſt, vt reuera eſt, cũ ſudor naturã aqueam reſſerat, cum intus remanet, grauitaret deorſum, & non per ſuperiores partes erumperet, ergo præſuponi aliam cauſam ſuperiorem opportet: videlicet naturã á qua per omnes partes ſudor expellatur: ſed recurres ſtatim ad compreſsionem arteriæ, ſi ergo fatendum eſt neceſſario, dilatari arteriam contra ipſius naturam á ſuperiori cauſa, videlicet natura, vt ingrediatur aer ad cordis refrigerium. Cur non tibi perſuadebis, etiam comprimi ab eadem ad expellendum calidiorem aerem, & fulligines, cum vtraque ad eundem finem ſpectet, videlicet corporis conſeruationem, atque ſudores etiam omnes á

natura præcipuè excerni media sua facultate expultrice cum vniuersæ nostri corporis actiones à natura fiãt. Suis facultatibus munita, vt satis latè explanatum, quam ob causam sapientissimus Galenus dixit primo de Simplicium medicamentorum facultatibus. Equidem cum natura Architectrix corporis, instar boni cuiusdam conditoris ciuitatis, in ipso statim structure nostræ initio (id summa quadam, & admirabili arte machinata), vt vel in æternum, vel ad plurium saltem annorũ, creatura sua illæsa perstaret) quam quidem inmortalitatẽ, si illi per materiæ bonitatem, & excellentiam licuisset efficere esset conata) facultates quibusdam corporibus indidit, quibus seruari creata à natura animantia cuncta possent. Nisi enim à natura facultates natiuæ quædã essent, membris confestim ab initio tributæ durare animalia non possent, non modo tantum annorum, sed ne temporis quidem momentum, eo factum est, vt partes suis quæque facultatibus insignitæ, totum ipsum integrum seruent in actionibus, atque operibus, quæ ad animalium conseruationem conferre plurimam vidétur. Facultates nihil aliud sunt, quã aptitudines illæ, prouenientes ab ipsa forma, & anima, differentia actionum in eodem indiuiduo, vel etiam in eadem specie semper prouenit á diuersitate instrumentorum, quam obrem si omnes corporis partes essent occuli omnes vtique viderent, & nulla alia in nobis fieret actio, præter visionem, vis mouendi in corpore ob diuersam pedis, & manus structuram fit, vt ille ad gressum, hæc vero ad apprehensionem sit apta. Vna existente anima nutrice in hepate sanguificationis est autor in corde pulsationis, & generationis spirituum sensus motus imaginationis, & memoriæ, cum præparet instramenta sensibus externis, & internis, quæ actiones omnes naturales dicuntur, quia omne illud dicitur naturale, cuius instrumentum est à natura fabricatum in id opus præstandum. Eadem, etiam certis, & priuatis instrumentis fit excrementorum expultrix, hæc vegetatrix anima est vitalis facultas, quia vt inquit Arist. lib. de morte, & vita, nihil aliud vita est, quam prima nutritiuę animæ in calido participatio, ac mora: diffinit enim vitam per propriam causam efficientem, & instrumentalem, Aristot 2. de anima. c. 4. inquit viuere viuentium est esse, esse autem tale nascitur à vegetatrice facultate: ergo & vita, sed id à quo procedit vita dicitur facultas vitalis, igitur facultas vegetatrix erit vitalis, sed hęc eadem dicitur naturalis, ergo naturalis est vitalis. Sed sudoris excretio, cum non fiat ab animali per se, cum sit citra irritationem sensus (de illo sudore loquor, qui contingit corpori neutro) sequitur necessario debere procedere à facultate naturali, & consequẽter à vitali, quæ idem sunt, quod tu iterum atque iterum vehementer negas. Aristoteles animæ partes ac facultates sigillatim enumerans, vitalem omnino, tanquam nulla seorsum esset, prætermisit vitam nutritione deffiniens, hac enim defficiente vita tollitur, quia vita nihil est aliud, quam actionum omnium vnio, atque communitas, & illam actionem, quam medici appellant vitalem, arbitror esse actionem consequentem instrumentum animæ naturalis, quod est calor innatus cordis, cum caloris proprium sit palpitare, ac vegetare, & licet vigor, & animi constantia in rebus agendis tribuatur cordi: ego existimo tribuendam esse bonæ compositioni ac temperaturæ, corporis vniuersi. Reliquum nunc est, vt aliquas addam animaduersiones, circa errores á te adductos in aduersarios, ac primum circa errorem. 18. tui innominati Medici, quem accriter reprehendis hoc modo philosophantẽ, sudorem excrementum esse: ergo inutile, ergo obiectum facultatis expellentis fingens quandam distinctionem quæ non cohæret in natura. Fateris enim obiectum esse, quatenus est excrementum naturale. Quatenus autem est præter naturam, vt sunt humores in corpore redundantes minime concedis, sed affirmas circa excrementa naturalia, esse quandam antipathiam, & formarũ, dissi-

dissimilitudinem, minimè repertam circa humores peccantes, & præter naturã existentes, nam in quis ratione Antipathiæ expulsiuam facultatem, circa excrementa na turalia, semper esse in continuo motu operationis, circa vero humores peccantes aliter cõtingere, nam si ita se res haberet statim, ac esset aliquod innutile excerneretur, & sic nullus locus morbo relinqueretur. qui simpthomaticiseuacuationibus, prius non periret. Hec omnia à te dicta sunt. pro veri autem inuestigatione aduerte, quo cũquè alimenti genus, cum à corporis nostri natura plurimum distet. Ratione cui. s necessarium foret, alimentum illud multipliciter transmutari, si corpori animalis nutriendo habet assimilari, proinde prouidisse naturam de concoctione, qua mediã diàte, toties transmutaretur alimentum, quoad corpori penitus simile efficeretur. Cum vero nullũ reperiri posit, quod & si exactissime concoquatur, vndequaquè transmutari possit, ac fieri idoneum pro corpore nutriendo, sed necessarium fore alteram partem in alimento idoneam esse, ad corpus alendum, alteram verò discrepantem, & ineptam, ob id, vt eijceretur è corpore pars, ea quæ discrepans est. Dedit viuentibus natura facultatem expulsiuam, qua mediante ejicerentur ea, quæ pro corpore nutriendo essent inepta, & cum concoctio constante vita debeat esse perpetua, sic & excrementi expulsio. Sed cum forsitam ob improportionatum alimentum & alias causas concoctricem facultatem infirmantes, atquè naturam, alioquin robustam, expulsiuamquè imbecillam reddentes, fiat vt nec concoctrix, nec expultrix facultas possint satis suum officium facere: vnde excrementa illa naturalia, quæ habebant extra corpus educi, intus retinentur, varieque putrefacta, omnium fere internorum morborum sint origines. Si ergo excrementa retenta eadem sunt, quæ naturalia. Solum secundum accidens differentia, sequitur necessario, quod si vt naturalia sunt obiecta facultatis expulsiuæ: ita etiam cum præter naturam extiterint. Nam color cum sit obiectum visus non desinit esse tale, propterea, quia color, nunc sit albus, nunc niger, nunc intensus, nunc remissus, & sic de reliquis sensibus externis. Nã si vtraq; facultas perfectè suum officium prestarẽt ferè nunquam homines in morbos inciderent. Ex quo colligitur, vt non expellere causam morbificam, solum sit debilitas vtriusq; facultatis naturalis concoctricis, scilicet, tanquam prærequisitæ, & expellentis, tanquam propriæ facultatis, non autem defectus Anthipathiæ (vt tu existimas) quę solum reperitur circa excremẽta naturalia, & nõ circa morbos. Nam circa vtraq; excrementa est in genere quædam contrarietas, & ineptitudo ad nutritionem, cuius ratione perpetuò, & quoad fieri potest, natura media sua facultate expultrice, conatur è corpore ellicere, omne illud quod nutritioni sit ineptũ, siue mediatum sit, siue inmediatum, siue morbosum, siue naturale, siue tenue, siue crasum, vt eadem natura media attractrice semper, quod sibi familiare est attrahit, vt ipso fruatur, & conseruetur, aliqua forte occasione non impedita. Ac proinde si omnis sudor fit ex materia inutili pro corporis nutritione, erit necessario obiectum facultatis expulsiuæ. Nam etsi aliquan lo facultas expulsiua expellit indifferenter, & promiscuè bonum, & malum, vt in synthomaticis euacuationibus, non est ob defectum Antipathiæ, vt tu affirmas, sed propterea quia natura prouida maximè à morbo oppressa, maximeq; stimulata omnes suas vires colligens, ne sucumbat, & tandem eger intereat, nulla expectata coctione pro viribus conatur morbificam causam expellere, tanquam quid nõ solum nutritioni ineptum, sed naturæ maximè inimicum. Latius de hac re posset patere oratio, nisi breuitas epistolæ, & aliæ causæ non impedirent.

¶ Secunda animaduersio. Non valet argumentũ in principio secundæ paginæ à te adductum, contra illum Cathedraticũ, quõ contendis probare impulsum illum productum à compressione arteriæ non oriri à facultate vitali. Argumento sumpto, ex Diuo Thom. 1. 2. q 3. artic. 2. ad. 1. & ex Arist. 8. Phisico. tex. 28. quod tale est. Actio vitalis dicitur illa, quæ est à principio viuenti, vt viuens est, fateor maiorem, sed impulsus ille non est à principio viuenti, vt viuens est, sed à compressione arterię solũ, vt corpus naturale, nego minorem, affers argumentum à simili ad minoris confirmationem, vt si aliquis homo per impulsum alterius extrinsici motoris moueretur, talis motus vitalis non est. nam talis motus conuenit homini quoatenus est similis corpori naturali, & non quoatenus viuens est. Claudicat similitudo, nã agis de extrinsicis motibus, non intrinsicis, nam internæ omnes actiones viuentes primo, & præcipue

cipue oriuntur â natura, videlicet, ab anima adiuta autem naturalibus instrumentis, quod ipsum dicendũ est de impulsu ortu à compresione arteriæ. Consideras duplicẽ modũ operationis in viuentibus, primus, ita viuenti proprius, vt non posit esse ab alio corpore naturali nõ viuẽti, vt tu dicis, ponis exemplum, vt intellectio, loquutio, & deambulatio, vt tu sine distinctione affirmas. Dicis, finge compresionem arteriarũ non esse vitalem, impellet similiter fuligines ipsas, nego hoc dato futuras esse arterias, nec sequuturã esse fuliginum expulsionem, quoniam arteriæ instrumẽta sunt facultatis vitalis, vt tali modo, & vsq; ad certũ terminum fuligines expellantur, & aer etiam calefactus, atq; naturæ ineptus. Nam hoc à facultate motiua arteriæ, solum prouenire, minimê poterit, vt iam satis probatum est, ne eadẽ sæpe repetamus. Nec pasiones dicuntur produci ab essentia, vt tu asseris, sed comproduci eadem actione ad productionem essentiæ, tanquam aptitudines quædam coherentes essentiæ ad proprias operationẽs obeandas, ab eodem agente concreatæ cum essentia, non autẽ ab essentia ortæ, ac proinde pasiones animæ non oriuntur ab anima, nec anima est propter suas potentias, sed anima est propter suam actionem, quia vt inquit Arist. multis in locis, vnumquodq, est propter suũ operari, potentiæ autẽ sunt propter animam, veluti auxiliatrices ipsius, & non è contra, vt tu sentis. Et cum vltra progrederis confirmans tuã conclusionẽ à simili dicis, cum me moueo aerem necessario impello, qui impulsus vitalis non est. Quia non est à viuẽti, vt viuens, nego antecedens, pro cuius explicatione aduerto, quod omnis actio essentialiter talis dicitur, per ordinem ad terminum illum, ad quem primario ordinatur, vt tu verè fateris, sed hic impulsus aeris externi, non est primo ordinatus ab animali ad aliquem finem, sed per accidens, & secũdario, ergo ab illo non debet denominari actio, sed ab animalis motiua facultate, vt excitata medio appetitu, vel voluntate ad aliquem locum, propter aliquem finem, vtile, delectabile, vel honestum. Quæ actio verè animalis est, cum solum animalibus contingat, & etiam naturalis, quia omne id dicitur naturale, quod vtitur instrumentis à natura fabricatis ad propriam actionem exercendam: nec inconuenit eandem actionem appellari animalem, & naturalem, diuersis tamẽ rationibus. Si ergo naturalis est actio, igitur & vitalis, quæ idem sunt, vt iam probauimus, cõfirmatur hoc tuo argumento desumpto ex Aristotele octauo Phi. tex. 28. cum dicis, rationem constitutiuam vitę esse moueri à se. Illud igitur principium intrinsecum, ratione cuius res mouebitur à se, erit principiũ vitale, & cum impulsio aeris externi, primo, & per se trahat originẽ à principio intrinseco, & naturali, erit vitalis, & conueniet homini quoatenus viuens est. Quod tu negas, & consequenter aeris calefacti fuliginũ, & vaporum expulsio fient primo, & per se à tali principio, cum omnes ad conseruationem vitæ dirigantur. Impulsus autẽ aeris externi, solum est accidentaria, & veluti conditio, sine qua non a qua actio non debet denominari, quia est actio inmediatè cõsequta ad actionem cuiusq; corporis moti. Nec valent distinctiones à te adductæ penes modum, & penes substantiam, cum nutritio posit fieri à Deo. Quia hic solum loquimur de effectibus naturalibus, & eorum causis.

Circa errorem. 24. videris opinioni assentiri eorum, qui dicunt essentialiter non distingui vaporem à re, cuius est vapor, licet realiter distinguatur, vt Petrus distinguitur à Ioanne. Ego existimo vaporem, non solum realiter, sed essentialiter distingui à re, cuius est vapor, veluti pars separata à toto, essentialiter distinguitur à toto, & cum vapor à materia aquea, vel terrea, cum portione aquæ eleuetur. Vt cõstat apertisima experiẽntia, vapor autem aereæ naturæ sit, quæ contraria natura est. Sequitur necessario ipsum, non solum realiter, sed essentialiter distingui à materia à qua resoluitur. nec irritatio à calore, quem tu negas in vapore (secundum tuam opinionem) propter temperatum calorem, est necessaria semper ad expulsionẽ, sed sufficit quædam proprietas occulta pululans ex putrefactione naturæ inimica ratione, cuius ipsa natura excitatur ad expulsionem.

Si hæc à me dicta sint non vt te aliquo odio prosequar, quia tibi coniunctisimus sum, vt peritorum virorum semper sui studiosus, & amator, sed vt liberè de hac re meam sententiam proferam, vt alij, nec mirari debes, & vitio vertere (si exactê perpendis) sed æquo animo ferre, cũ tu aduersus antiquitatẽ contendas. Si multi in te inuehantur, & antiquitatem defendant. Vale amice charisime.

Doctor Atiença.